



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Symbolum Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

SECUNDA PARS CATECHISMI.

Symbolum Fidei.

Ordo partium Catechismi.

Quare sit opus doctrinae seu professione Symboli.

Duodecim articuli fidei.



ACTENVS Catechismi, hoc est Christianae doctrinae primam partem addiuimus, in qua, quid facere, quid omittere nos Deus velit, vidimus. Hanc deinceps iusto ordine fides subsequitur, qua nobis summatim, quid à Deo nobis expectandum & accipiendum sit, proponitur, atque vt paucis dicam, eundem nos per omnia docet cognoscere. Quae eò nobis seruire ac prodesse debet, vt illud, quod praecipit, facere queamus, dum ea exigentibus praecipit facere cogimur. Nam (vt supra dictum) adeò sublimis & alta eorum est constitutio, vt omnium hominum vires longè leuiores sint & inuadiiores, quam vt eandem possint assequi aut contingere, & ei satisfacere. Eam ob rem nihilo minus necessarium est, hanc partem perdiscere, quam priorem, vt letimus, quomodo praecipit satisfacere queamus, & vnde tanta vis ac virtus perenda aut impetranda sit. Et enim, si proprijs viribus diuinis praecipit satisfacere possemus, quemadmodum illis satisfacendum est: & fide & precatione haud difficulter careremus. Prius verò quam eiusmodi & utilitas & necessitas fidei exponatur: initio sufficit pro rudibus planè, vt fidem posse comprehendant, & intelligere discant.

Principio Theologi nostri fidem haecenus in duodecim Articulis diuiserunt: quanquam si omnes particulae, quas tradit Scriptura, & ad fidem referendae sunt, sigillatim comprehenderentur, multo plures sunt.

Articuli, sed neq; tam paucis verbis satis significanter possunt exprimi. Verūtamē vt quā facilimē & simplicissimē comprehendantur, voluti pueris tradendi sunt: totum fidei Symbolū tribus tantū principalibus Articulis complectemur, iuxta tres diuinitatis personas, ad quas omnia, quæ credimus, referuntur & ordinantur: Ita vt Primus Articulus de Deo Patre, creationem explicet, Secundus de Filio, redemptionem, Tertius de Spiritu sancto, sanctificationem. Quasi fides quā breuissimē tot verbis comprehensa esset: Credo in Deum Patrem, qui me creauit, Credo in Deum Filium, qui me liberauit, Credo in Spiritum sanctum, qui me sanctificat. Vnus Deus & vna fides, verū tres personæ, quare tres etiam Articuli & confessiones. Iam ergo ipsa fidei verba breuiter percurreremus.

ARTICVLVS I.

Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Quanam sit Dei Patris essentia, voluntas & opus hisce verbis compendiosissimē adumbratum & propositum est. Cū enim Decem præcepta docuerint, non esse nisi vnum Deum habendum & colendum: in quæstionem venire posset, quid Deus esset, quid operis faceret, quibus deniq; rebus laudandus sit aut depingendus, vt cognoscatur. Hoc iam sequens docet Articulus, fidem nihil aliud esse, quā responsonem quandam & confessionem Christianorum, ad Primum præceptum ordinatam. Velut puer interrogatus à quopiam, Quemnam Deum habes, aut quid de illo compertum tenes? Respondere possit: Primum quidem hoc Deus meus est, videlicet Pater, qui cœlum ac terram condidit. Extra hunc vnum nullum alium Deum esse credo, præter hunc enim nemo est,

*Symboli
Apostolici
tres articu-
li præcipuè.*

*Pater fons
omnium
beneficio-
rum.*

*Vnus Deus,
tres perso-
na.*

*Primus ar-
ticulus in
Symbolo
complecti-
tur doctri-
nam de ve-
ra agnitio-
ne Dei.*